



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De auaritia sacerdotum. cciii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Ex cōcil.
Vasensi,
cap. 9.

DE expositis, quia collata ab omnibus querela procedit, eos non ad misericordiam iam, sed canibus expositi, quos colligere calumniarū metu, quanuis infelix à preceptis misericordiae mens humana detractet, id obseruandum est, vt secundum statuta fidelissimorum Augustorum piissimorumq; principum, quisquis expositū colligat, Ecclesiam contestetur, contestationē colligat. Nihilominus de altari dominico die minister annunciet ab ecclesiastico expositum esse collectum, vt intra dies decē ab expositionis die expositum recipiat, si quis se probauerit agnouisse, collectori pro ipsorum X. dierū misericordia, provaluerit, ad praesens retribuat, aut in perpetuum cum Deo gratia, si voluerit, possideat. Si quis expositorum hoc ordine collectorum repetitor, vel calumniator extiterit, vel homicida habendus est.

De auaritia sacerdotum. Cap. CCIII.

Ex cōcil.
Toletan.
cap. 33.

Auaritia radix cunctorum malorum, cuius fitis etiam sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium amore Christi & martyrum, in parochiis episcoporum basilicas construunt, oblationes conscribunt, sacerdotes habent, qui auerunt, atque in vsus suos conuertunt. Inde est quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. In labentium basilicarum ruinae non reparantur, quia auaritia sacerdotali omnia aueruntur. Pro qua re constitutum est à praesenti concilio, episcopos ita dioceses suas regere, nihil ex earum iure praesumat auferre: sed iuxta priorum auctoritatem conciliorum, tam de oblationibus, quam de decimis, & de tributis ac frugibus tertiam consequantur. Quod si amplius quippiam ab eis praesumptum extiterit, per concilium restituetur, appellanti bus ipsis condonabitur, aut certe propinquis eorum, si iam illi à seculo discesserunt. Nouerint autem conditores basilicarum, in rebus quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere, sed iuxta canonum instituta, sicut ecclesiam, ita & dotem eius ad ordinationem episcopi pertinere.

De illis qui Ecclesias incenderint. Cap. CCIII.

Ex decr.
Iulij pap.

Si quis Ecclesiam igne comburit, XV. annos poeniteat, & eam sedule restituat, & precium suum distribuat pauperibus.